



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 35. Venetorum victoriæ de Turcis reportatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII. „pene omnes Cæsareis copiis diripien-
A. C. 1717. „da relinquerent. Tum altero post die
 „Alba Græca sublato deditiois signo,
 „implorataque victoris fide in Christi-
 „norum potestatem redacta est. „

His ita expositis Cardinalibus si-
 gnificabat, proxima die Dominica SS.
 Rosario sacra in Ecclesia S. Mariæ su-
 per Minervam solemnes Deo peragen-
 das esse gratias, & iusta Christianæ
 pietatis officia in Pontificio Sacello pro
 defunctis tam in Hungarica acie, quam
 in Navalibus ad Orientem præliis per-
 solvenda.

§. XXXV.

*Venetorum victoriæ de Turcis
 reportatæ.*

Nec otiose hoc anno desidebant Ve-
 neti; cum enim Rossius Reipublice
 Tribunus per exploratores intelligeret
 ad fines Ragusæ Ravicam, validissimum
 ceteroquin oppidum tenui admodum
 præsidio muniri, nulla mora duo Nic-
 lacensium & tria provincialis militia
 millia contraxit, oppidumque aggre-
 sus post segnem obsessorum resistantiam
 illud deditioe cepit, ac duodecim belli
 tormenta cum multo commeatu & co-
 pioso belli apparatu abduxit: demum
 vero continuato felicitatis cursu præter
 plu-

plures alias urbes extensum triginta Sæc. XVIII.
 leucarum territorium Venetæ Reipu- A. C. 1717.
 blicæ Dominio subjecit. Ex ea parte
 fortissimum adhuc propugnaculum Ve-
 netis parebat a *S. Maura* dictum, Tur-
 cis oppido infestum; quod tamen per-
 fidus quidam Waldeckensis miles auro
 corruptus, Turcis prodere moliebatur;
 cum autem conspiratio tempestive fuisset
 detecta, ac insuper Roscius hoc pro-
 pugnaculum, vicinaque oppida vali-
 diore præsidio jam antea firmasset,
 duodecim Turcarum millia, quæ in
 opem advolarant, non sine clade repu-
 lit. Postea vero die sexta Aprilis Schwe-
 nicensis Bassa idem propugnaculum
 cum quinque peditum millibus, & e-
 quitibus octingentis quinto rursus im-
 petu adortus est, atque in ipsis vallis
 jamjam victoriæ vexilla affixit: ast An-
 tonius Lauredanus propugnaculi Gu-
 bernator facta generosa eruptione illos
 inde propulsavit, trucidatoque Bassa
 ceteros omnes timore pene exanimes
 in fugam egit: nec minus prospera erat
 expeditio maritima; Veneta enim clas-
 sis nonnisi viginti septem navium die
 decima tertia Maij prope Imbro cum
 turcica quadraginta duobus navi-
 giis valida in seram usque noctem col-
 lidebatur, tandem vero Turcicam ge-
 nerose in fugam conjiciebat: Iterato,
 &

Sæc. XVIII. & acriore adhuc conflictu Veneti die
 A. C. 1717. decima sexta & vigesima prima ejus-
 dem Mensis Turcicam classem gloriose
 devictam non sine copiosa hostium strage
 fugavit. Cecidere tamen in hoc ce-
 tamine præter ipsum Architalassum Lu-
 dovicum Flanginum quadringenti qua-
 draginta quatuor gregarii, & viginti
 sex varii gradus Officiales, faucii vero
 circiter octingenti. Parta triplici hac
 victoria Veneti classem suam Pontifi-
 ciiis, Lusitanis, Etruscis & Meliteni-
 bus navigiis auctam Prevesæ in Epiro
 applicant, hancque unacum Prælia &
 triginta belli tormentis urbem capiunt,
 pacta hac deditiois lege, ut Turcæ
 Voinizzam diu terra marique obsessam
 dederent: inde promotu cursu Veneti
 Lartam quoque Urbem interceptere.

§. XXXVI.

*Sardinia Insula a Philippo V. Rege
 hostiliter invasa.*

Lettr. Hist. Tot tamen victoriarum non modo a
Aout Sept. Venetis, sed potissimum a Cæli-
Esc. Elect. reis reportatarum cursum nonnihil le-
Jur. Publ. stere videbatur inopina Philippi V. His-
Tom. XI. spani Regis irruptio hostilis in Sardi-
Epist. Clem. niæ Regnum: qua invasione irritatus
XI. p. 2250. Pontifex, Ecclesiasticas per Hispaniam
Hist. de Card. & Indiam decimas pro Turcico bello
Alber. t. 2. *p. 140. &* *seqq.*